



Per.
Lat
020

Prodit Budapesti, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 tinnuli 80 filleri.

Megjelenik Budapestén, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

Lectoribus Salutem!

Iterum exactus est annus in vita ephemeridis nostrae et nunc, novo incipiente, novus moderator vos salutat!

Meum esse puto, ut in nomine omnium lectorum *Iuventutis* praedecessori meo, doctissimo atque honestissimo viro Josepho Irsik maesto dicam valere animo et summas ei gratias pro laboribus in moderanda ephemeride persecutis agam.

Officia atque partes eius suscipiens quid est, quod vobis profiteri possim? Sua sponte venit mihi in mentem; quod praedecessor meus, cum munus accepisset, his verbis expressit: «Grandia profiteri absit a me. Tantum audebo, quantum valebo»...

Munus mihi traditum amore, summis viribus exsequi conabor. Nam pro iuventute vivere et laborare officium est pulcherrimum. Sed peto vos, ut ad assequenda *Iuventutis* nostrae proposita, quae vobis vel optime nota sunt, quisque bonis consiliis, opusculis mecum collaboret. Studia nostra adiuvet Deus!


Eugenius Fray dr.

De dypsade.¹

Maxima pars Libyae, quae ad meridianam caeli partem spectat, arenarum inculta vastitas est² tanta sterilitate arborum et aquae inopia, ut non modo non homines, sed ne bestias quidem alere et sustentare possit. Raris locis, in cavis recessibus³ reperitur quidem aqua, tantum pluvia, sed limosa et foetida est illa, qua ne in extrema quidem siti frui potest.

Proximi regioni Garamantes,⁴ qui sine vestimentis, nudi, in tentoriis vivunt. Soli sunt, qui venandi causa illas regiones frequentant. Ferae venantur: onagri,⁵ struthocameli,⁶ simiae, interdum etiam elephantum, qui sitim vel maxime cruciantem diutissime soli perpeti possunt. Finita venatione Garamantes domum revertuntur, ne una cum captura pereant, cum solum radiis solis candesci incipit.⁷

Serpentes soli perpetuo hanc solitudinem habitant. Venenatis dentibus praediti periculosissimi sunt. Nonnulli eorum nidos in terram infodiunt, alii humi repunt. Unum genus serpentium nominantur dypsades. Forma haud a vipera discrepans, tantum paulisper crassior.⁸ Morsus eorum intolerabiles excitat dolores vulneratis veneno, nam momento temporis toto corpore ex-



LECTORIBUS MINIMIS.

Ex fabulis Turcicis.

1. Fures duos in furto deprensos in ripa ipsa fluvii infelici arbore suspendere voluerunt.

Carnifices alteri eorum laqueum pessime collo iniecerunt, qua de causa ille in flumen decidit et ad alteram ripam natans vitam sibi servavit.

Cum fur alter hoc vidisset: «Collo meo — inquit — laqueum bene circumdate, ego enim natare nequeo».

*

ardescit⁹ sanguis et acerbissimo fervore¹⁰ cruciantur. Sitim sentiunt ingentem dentibus laesi et — quod maxime intolerabile est, unde etiam nomen serpens accepit —: quo quis plus aquae biberit, eo fit cupidior potandi. Sitis ille ne Danubii quidem undis exstingui potuerit. Quasi oleum instilletur¹¹ igni. Tali inextincta siti cruciabatur quondam Tantalus, rex ille Phrygius, qui in Tartaris poenas luit peccatorum. (Ex Luciano.)

*

Dictum Platonis: Pulchro nunquam satiari possumus.¹² — y.

1 kigyófaj 2 végtelen homoksivatag 3 mélyedésekben 4 a mai Fezzanban 5 vadszamarak 6 struccok 7 áttüzesedni kezd 8 vastagabb 9 gyulladásba jut 10 kegyetlen forrótság 11 öntene az ember 12 tudunk betelni.

De avibus plures reges eligere volentibus. Aves quondam aquila rege suo non contentae plures sibi dominos creare decreverunt. Cogitabant enim illam tantos alitum greges solam regere non posse. Et iam consilium perfecissent, nisi cornix de re decedere eis persuasisset. Rogata autem, cur non plures reges duceret creandos, cornix respondit: «Unum saccum facilius implebimus, quam plures». — y.

(Ad fabulam Abstemii.)

2. Vir quidam mare rubrum pernavigatus et domum reversus amico suo de balaenis¹ et piscibus volantibus ibi existentibus narravit. Amicus minime adductus est, ut ei crederet.

Tum illum ludibrio habiturus: «Aliquando — inquit — hamo piscabar et — mirabile dictu — rotam e mari extraxi».

«Huic quidem iam fidem habeo! — dixit amicus — rota certe currus Pharaonis² erat.»

*

Parvulus ab avunculo ad cenam vocatus, cum iam crustula apponerentur, interrogat avunculum vitrum oculare³ gerentem.

— «Mi carissime, amplificatne aut minuit vitrum tuum oculare?» —

— «Amplificat» — respondit ille.

Ad haec filiolus: «Tum velim deponas, cum mihi panem dulciarium⁴ secuieris.»

Eugenius Márkus dr.

1 bálna 2 fáraó 3 szemüveg 4 torta.

De Arione.

Arion, poeta lyricus Methymnae, in insula Lesbo natus est. Carminibus suis non modo homines delectabat, sed feras quoque bestias delectabat.¹ Apud Perianthum, Corinthiorum tyrannum diu commoratus,² tandem tactus cupidine aliarum regionum visendarum,³ in Italiam et Siciliam profectus est, ubi ingentes divitias comparavit. Dives factus Corinthum revertere voluit. Navem conscendit, in qua opes suas collocavit.

Iamque navis altissimum aequor secabat,⁴ cum gubernator et nautae pecuniam Arionis concupiscentes poetam in mare conicere decreverunt.

Propositum nautarum poeta sentiens pre-



cabatur eos, ut tantum vitae parcerent:⁵ se omnia traditurum promisit.

At praedones propositum abiiciebant. Postulabant, ut se interficeret.

In ultimo discrimine⁶ poeta obsecrabat nautas, committeretur sibi, ut sumpta lyra carmen ultimum canere sibi liceret.

Haec venia data est.⁷

Arion totum ornatum sibi induit: caput corona cinxit, sumpsit pallam, deinde flebiliter canebat.

Finito carmine in undas se coniecit.

Nautae iter ad Corinthum continuabant,⁸ quia Arionem mor-

¹ elbűvölte ² sokáig időzött ³ sarkallva a vágytól, hogy más vidékeket meglátogasson ⁴ a sík tengert hasítottá ⁵ csak életét hagyják meg ⁶ végső veszedelmében ⁷ ezt a kedvezést megadták neki ⁸ folytatták útjukat.



C. Plinius Secundus.

C. Plinius Secundus anno Christi 23. natus est. Veronensisne an Comensis fuerit, quaeritur. Ineunte adolescentia Romam deductus est, ubi scholam grammatici Apionis frequentabat. Adolescentiam vix egressus stipendia fecit in Germania, permultas provincias Romanas peragrans et quae passim observaverat, membranis exarabat.¹

Reversus in Italiam, temporibus Neronis vitam obscuritati mandavit,² quoad anno sexagesimo septimo p. Chr. n. procurator

Hispaniae evasit, mox autem imperator Titus Misenensi classi eum praefecit.

Vita decessit eo die, quo clarissima oppida: Pompeii et Herculaneum Vesuvii montis cineribus oppressa sunt, anno 79., aetatis quinquagesimo sexto.

Multa quidem scripsit, sed tantum Historia Naturalis sua, in libris triginta septem conscripta, quae igitur iustae instar bibliothecae est,³ remansit. Plinius Minor, cuius noster Plinius avunculus erat, hoc immensum opus «diffusum,⁴ eruditum, nec minus varium, quam ipsam naturam» designavit.

Sane erat «acre ingenium», qui incredibili studio, summa vigilantia vitam suam

¹ feljegyezte ² visszavonultan élt ³ egész könyvtár-számba megy ⁴ terjedelmes, tudós munkának jellemezte.

Hungariae originem duxerunt, sicut in sequentibus dicitur. Scythici enim, sicut diximus, sunt antiquiores populi, de quibus historiographi, qui gesta Romanorum scripserunt, sic dicunt: quod Scythici gens fuisent sapientissima et mansueta, qui terram non laborabant, et fere nullum peccatum erat inter eos. Non enim habebant domos artificio paratas, sed tantum tentoria de filtro parata.⁴ Carnes et pisces et lac et mel manducabant et iumenta multa habebant. Vestiti enim erant de pellibus zobolorum et aliarum ferarum. Aurum et argentum et gemmas habebant, sicut lapides, quia in fluminibus eiusdem terrae inveniebantur. Non concupiscebant aliena, quia omnes divites erant, habentes animalia multa et victualia sufficienter... Postea vero iam dicta gens fatigata in bello, ad tantam crudelitatem venit, ut quidam dicunt historiographi, quod iracundia ducti humanam manducassent carnem et sanguinem bibissent hominum. Et credo, quod adhuc eos cognoscetis duram gentem fuisse de fructibus eorum. Scythica enim gens a nullo imperatore fuit subiugata. Nam Darium regem Persarum cum magna turpitudine Scythici fecerunt fugere, et perdidit ibi Darius octoginta milia hominum et sic cum magno timore fugit in Persas. Item Scythici Cyrum regem Persarum cum trecentis et triginta milibus hominum occiderunt. Item Scythici Alexandrum Magnum filium Philippi regis et reginae Olympiadis, qui multa regna pugnando sibi subiugaverat, ipsum etiam turpiter fugaverunt. Gens namque Scythica dura erat ad sustinendum omnem laborem et erant corpore magni Scythici et fortes in bello. Nam nihil habuissent in mundo, quod perdere timuissent pro illata sibi iniuria. Quando enim Scythici victoriam habebant, nihil de praeda volebant, ut moderni de posteris suis, sed tantummodo laudem exinde quaerebant. Et absque Dario et Cyro atque Alexandro nulla gens ausa fuit in mundo in terram illorum intrare. Praedicta vero Scythica gens dura erat ad pugnandum et super equos veloces et capita in galeis tenebant et arcu ac sagittis meliores erant super omnes nationes mundi et sic cognoscetis eos

fuisse de posteris eorum. Scythica enim terra quanto a torrida zona remotior est, tanto propagandis generibus salubrior. Et quamvis admodum sit spatiosa, tamen multitudinem populorum in ibi generatorum nec alere sufficebat, nec capere. Qua propter septem principales personae, qui hetumoger dicti sunt, angusta locorum non sufficientes, ea maxime devitare cogitabant. Tunc hi septem principales personae habito inter se consilio constituerunt, ut ad occupandas sibi terras, quas incolere possent, a natali discederent solo.

⁴ szövetből készített sátraik.

NARRATIUNCULA

Quomodo Crotoniensis Milo interierit.

Milo Crotoniensis, athleta ille illustris (floruit saeculo sexto a. Chr. n.) vir praevalidus erat. Nudis manibus¹ etiam bovem necare potuisse fertur, quem deinde tollens,umeris circumferebat. Sunt, qui dicant athletam quotidie unum bovem comesse. Contentusne fuerit tantam molem carnis manducans,² an etiam cum ossibus bovem devoraverit,³ nescio. Nunc iam difficile est veritatem persequi⁴ et integritatem incorruptam explorare.⁵

Sed qualescunque vires habebat, venit tandem tempus, quo athleticam desinere coactus est.⁶ Solus Italiae silvas pervagans forte prope viam quercum vidit in parte media rimis patulis hiantem.⁷

Experiri voluit, an ullae sibi vires manerent, itaque digitos in cavernas⁸ quercus immittens arborem distrahere conabatur. Et iam quercum ad mediam partem diduxit, cum — quasi opere perfecto — manus laxavit.⁹ Vi cessante arbor in naturam rediens¹⁰ manus retinuit et inclusit. Athletam bestiae succedentes¹¹ dilaceraverunt. Mors sane miseranda! —y.

¹ puszta kézzel ² majszolgtatva ³ nyelte le ⁴ az igazság után járni ⁵ a hamisítatlan valóságot ki-puhatolni ⁶ a birkózás mesterségével felhagyni kény-szerült ⁷ széles rés tátongott ⁸ üregébe ⁹ kezét nem feszítette meg ¹⁰ eredeti állapotába visszatérvén ¹¹ az előlopódzó.

EX ARCHIVO RELIGIOSO

Beatus Paulus Apostolus.

De charitate.

(Epistolae ad Corinthios primae cap. 13.)



Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum, velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.¹

2. Et si habuero prophetiam² et noverim mysteria omnia³ et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem ita, ut montes transferam,

charitatem autem non habuero, nihil sum.

3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas⁴ et si tradidero corpus meum ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

4. Charitas patiens est, benigna est: Caritas non aemulatur, non agit perperam,⁵ non inflatur,⁶

5. non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur,⁷ non cogitat malum,

6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati:

7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

8. Caritas numquam excidit:⁸ sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur.⁹

9. Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus.

10. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur,¹⁰ quod ex parte est.

11. Cum essem parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi,¹¹ quae erant parvuli.

12. Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.

13. Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria haec; maior autem horum est charitas.

¹ pengő cimbalom — ² ha jövendőt tudok is mondani ³ minden titkot ⁴ vagyonomat ⁵ nem kérkedik öð persperésztai ⁶ nem fuvalkodik fel ⁷ nem gerjed haragra ⁸ fogy el ⁹ megsemmisül ¹⁰ eltűnik (kiürül) ¹¹ elhagytam.



Conventus exploratorum totius mundi.

In mense Augusti huius anni ex omnibus partibus mundi exploratores electi in Britanniam convenerunt. Quinquaginta milium exploratorum huic coetui magno interfuerunt. In honorem fundatoris Baden-Powell sollemnia magna ordinata sunt. Caterva uniuscuiusque regni seorsum castra fecit et cum vespere ignes castrorum accenderentur, exploratores mores, saltationes, choreas et cantilenas pulchras patrias in aspectum protulerunt.¹

Exploratores Britannici magno cum gaudio fratribus externis res multas memoria dignas patriae suae ostenderunt.

Oppida magna, collectiones omnis generis divites, officinae² ingentes, naves magnitudinis mirabilis omnibus probata sunt.³

Exploratores Hungarici honoris singularis et observantiae eximiae participes erant. A magistro civium urbis Londinii (London city), qui civis primus Britanniae habetur, admissi et excepti⁴ sunt. Vir ille clarissimus inter cetera litteras, quibus fundamentum urbis olim iactum est, iis ostendit.

Dies festus Sancti Stephani, regis primi Hungarorum, et in externis ab exploratoribus celebratus est. Hoc die et comes Rothermere, amicus magnus Hungarorum igni vespertino castrensi interfuit. Comes nobilis, cuius hospitio exploratores Hungarici usi sunt, unicuique horologium ad memoriam dono dedit.

Post coetum dimissum ut fratres boni et legati pacis verae exploratores in patriam reverterunt.

Eugenius Márkus.

★

In quodam colle vici Kopáncs cura Universitatis Szegedinensis effossiones archaeologicae exsequuntur.⁵ Sex aedium reli-

¹ bemutatták, ² gyárak, ³ mindenkinek megnyerték tetszését ⁴ kihallgatáson fogadta ⁵ archaeologiai ásatások folynak.



quiae effodiebantur in summo colle, qui nominatur Kőkényhalom; forma aedium parallelogrammum est et illas caveas nobis in memoriam reducit,⁶ quibus etiam hodiernis temporibus utimur. Tuguria⁷ suis temporibus probabiliter ita aedificabantur, ut cultelli lignei,⁸ quibus nixa essent, in humum non inaedificarentur.⁹ Ex ruderibus fictilibus,¹⁰ quae nunc in lucem prolata sunt, vasa, patinae etc. reconstrui possunt. Magni momenti sunt etiam secures lapideae, laminae siliceae,¹¹ acus, subulae¹² et iacula hamata ex cornibus cervinis confecta.¹³ Corpus quoque unum nudis ossibus cohaerens¹⁴ cuiusdam pueruli prodiit, quod vietum¹⁵ sepultum aetatem sepulturae reteggit.¹⁶ Nam hoc modo aetate lapidea sepeliebatur. —y.

⁶ emlékeztetnek ⁷ kunyhók ⁸ faoszlop ⁹ építettek be ¹⁰ cseréptörmelék ¹¹ kovapengék ¹² ár ¹³ szarvasagancsból készült szigonyok ¹⁴ csontváz ¹⁵ összezugszorodottan ¹⁶ tárja fel.



SALSE DICTA

Vir quidam ex insula Seripho, unus e plurimis, qui Themistoclis gloriae invidabant dixit illum non per se, sed Athenas, ubi natus esset, gloriam et omnia dignitatis incrementa assecutum esse.¹ Huic Themistocles, qui forte aderat: «Habes — inquit — veritatem, non enim dubito, quin si Seriphus essem, clarus vir non fuero facturus.² Sed tu ne Athenis quidem natus!»

Idem Themistocles dixit de filio suo, quem mater indulgentia corrupit,³ illum esse tota Graecia potentissimum virum: Graecis enim Athenas imperitare, Athenis se ipsum, sibi autem uxorem, at uxori filium.

Filiam suam viri duo volebant ducere uxorem; Themistocles honestiorem ditiori anteposuit,⁴ dicens magis se petere virum divitiis egentem, quam divitias viro carentes.

Irati sunt Themistocli etiam socii Atheniensium, cum insulas circumnavigans pecuniam eos postularet. Andriorum responsum hoc demonstrat. Nam cum eos Themistocles pecuniam rogans monuisset se duas


deas: Peitho (Suadelam) et Bian⁵ (Vim) secum portasse, Andrii responderunt: «Et apud nos duae potentissimae deae incolunt: Penia (Paupertas) et Aporia (Egestas),⁶ quae nos tibi pecuniam persolvere vetuerunt!» —y.

*

Dux Joannes Anjou⁷ cum infesto exercitu Neapolitanos aggressurus erat. Cum urbem appropinquaret, ut ea potiretur, in vexilla sequens Joannis Sancti dictum ex Evangelio sumptum scribi iussit: «Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes».

Defensor urbis Alfonsus Arragonensis alio dicto respondit, quod ipse quoque ex Evangelio sumpsit, et in vexilla scripsit: «Venit et non receperunt eum». *Urbanus Dongo.*

¹ jutott dicsőségre és hatalmának tetőfokára ² nem lettem volna híres emberré ³ elkényeztetett ⁴ a tisztességesebbiket elébe helyezte a gazdagabbnak ⁵ a Rábeszélést és az Erőszakot ⁶ a Szegénység és a Szűkölködés ⁷ Anjou János herceg.



AENIGMATA

I.

Ad saltum equulei.

× Quae	ra,	po	po	ci	lin
tem	pi	no	re	re	prae
ca	quam	ni	bus	que:	tu
o	nis	li	vis	chor.	de
nes,	sint	Ca	di	ra	u
to	tas	te	ti	bet.	sti

II.

1	2	3			4	5	6
7			8	9	10		
11		12	13			14	
15	16	17	18		19	20	
21							
23	24	25	26		27	28	29
30							

Series directae:

1. Praenomen moderatoris Iuventutis.
7. Hoc modo fecit Aeneas, cum patrem ex Troia incensa portavit.
8. In hoc monte Paridi deae apparuerunt.
9. Praepositio.
10. Vocalivus pronominis possessivi.
12. Coniunctio.
13. Tali loco homo flumen transit.
14. Pronomen demonstrativum.
16. Sic scribitur «cum» in verbis compositis.
17. Si retrorsum legis, coniunctio adversativa.
18. Oppidum haud procul a Roma secundum viam Salariam situm.
19. Pars faciei.
20. Hoc modo «Lucius eques» abbreviatur.
21. Pronomen reflexivum.
22. Cognomen filii Aeneae.
23. In caelis habitant.
25. Nummus Romanorum.
26. Synonymum verbi «ambulare».

27. Ibi sacrificatur.


29. Animalia in Europiam moribundi (retroversum)
30. Dies sacer Iudaeorum.

Series libratae:

1. Dux clarissimus in pugna ad Mantineam.
2. Retrorsum legas: haud brevi tempore.
3. Mater et uxor Urani.
4. Pluralis pronominis.
5. Humida: alia voce.
6. Hoc tirones adigere solebant tribuni militum.
10. Oppidulum Siciliae; simul pluralis loci, ubi caro Romae vendebatur.
11. Alia voce: aptus.
15. Sponsae datur ut munus nuptiale.
17. Sapientes orientales Jesu parvulo dono dederunt.
24. Sine... et studio.
26. Retrorsum idem ac 29. dextrorsum.
28. Praepositio cum ablativo.
29. Idem ac 26. dextrorsum.

* Eugenius Márkus dr.

III.



IV. Syllabis sequentibus: bal, ci, da, Dae, En, Han, li, lus, mi, mis, mu, ne, ni, no, O, Oe, ra, Ro, Se, Ta, thrys, tus, U, us, xes, componenda sunt nomina hisce circumscripta:

1. dux Poenorum (3 syll.)
2. poeta Romanus (3 syll.)
3. conditor Romae (3 syll.)
4. nympa (3 syll.)
5. artifex clarus (3 syll.)
6. mons Thessaliae (2 syll.)
7. rerum scriptor Gr. (3 syll.)
8. rex Ithacae (3 syll.)
9. uxor Nini (4 syll.)

Litterae horum nominum initiales deorsum lectae nomen reddunt praeclari rerum scriptoris Graeci.

V.

9, 6, 19, 2, 7, 15 = poeta Romanus
21, 4, 24, 28, 11 = animae piae mortuorum

1, 26, 3, 22, 23, 8 = fluvius Troadis
17, 14, 25, 18, 27, 10, 16 = filius Massinissae
13, 20, 5, 12 = salvus sis
1-28 = proverbium.

VI.

Supple vocabula subserta desideratis litteris initialibus; reddent tibi nomen imperatoris cuiusdam Romani:

—audeo, —micus, —una, —iber, —ra, —vitat, —omen, —mbra, —ocius.

*

Solutiones aenigmatum ad moderatorem mittere. Nomina eorum, qui aenigmata recte dissolverint, in numero proximo publicabuntur.



Moderator ephemeridis: EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedii-scholarium Catholicorum. — A Katholikus

Középiskolai Tanáregyesület költségen.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)